

Pont. Commissio Decretis Concilii Vat. II interpretandis

551

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO DECRETIS CONCILII VATICANI II INTERPRETANDIS

Responsum ad propositum dubium

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, proposito in plenario coetu quod sequitur dubio, respondendum censuerunt ut infra :

D. - Quenam sit *Auctoritas competens*, de qua in Litteris Apostolicis *Ecclesiae Sanctae*, diei 6 Augusti 1966, I, n. 21, § 3.

R. - Auctoritatem competentem esse, in casu Sanctam Sedem, per Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, si agatur de conventionibus initis inter Apostolicam Sedem et Gubernium civile: esse vero Episcopum vel, in gradu superiori, Sanctam Sedem, per Dicasterium competens ad normam Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*, diei 15 Augusti 1967, si agatur de conventionibus initis, vel iuribus aliis personis physicis vel moralibus quaesitis.

Ss̄mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 3 Iulii 1969 infrascripto impertita supradictam decisionem ratam habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, *Praeses*